

XIV.

*Clientis Responsum.*

Quod, Pater alme, petis, pleno tu jure requiris,  
Praeceptis: Mandatis obsequar usque tuis.  
Exsolvamque fidem verbis, ne dicere de me  
Possis: Ingratus Filius iste fuit.

Ultimum

In Musam hos versus Latinos exarantem.  
Nosse cupis forsitan, Praesul dignissime, Musam,  
Hos lepidos versus quae tibi concinuit?  
Obsequor en votis! declaro me tibi: tecto  
Sed metro pandam nomina nostra tibi.  
Sum jam Musa senex, sum barbara, candida, nigra:  
Mirum, fors dices tu mihi, compositum es:  
Id sum, non renego; nil horum duco pudori,  
Sunt pulchri hi tituli, nomina grata mihi.  
Musa Senex ego sum: Fuerat respecta senectus  
Semper et ut caeli dos pretiata probis.  
Barbara sum: Americam denos ac quinque per annos  
Incolui: Legum Christi ibi Praeco fui.  
Sum nigra: Lojolae vestem, quae nigra, ferebam:  
Ite pia lacrymae! Rapta mihi illa fuit.  
Candida sum: cordis candorem semper amavi,  
Ut Styris proprium est, candida corda gero.  
Hi tibi si placeant tituli, Praesul Venerande,  
Accipe me in famulum Mancipiumque voca!

Kleinere Quellen und Forschungen zur Geschichte  
des Cistercienser-Ordens.

Von Dr. Otto Grillnberger, Ord. Cist. in Wilhering.

(Continuatio ex fasc. III pg. 294—299.)

XIII. F. 216—221'. **De electione novi abbatis.**<sup>1)</sup>

Pater abbas cum venerit ad monasterium sibi subiectum aut  
authoritate alterius sibi commissum, ibidem facta oratione fratres  
aqua benedicta aspergat cognitoque sepulchro abbatis defuncti cum  
aliquibus fratribus accedens dicat psalmum: *De profundis, Pater  
noster, A porta inferi, collectam: Inclina et Fidelium.*

Cum autem pater abbas vel eius locum tenens in domo sibi  
assignata in singulis fuerit expeditus et sibi hora competens ad-

<sup>1)</sup> *Darüber:* Instructio praesidentis electioni novi abbatis desumpta ab  
exemplari, quod habetur in *Aula Regia (Königssaal)* in regno *Boemiae*.

miserit, antequam intret in capitulum, convocet ad se in praesentia capellani sui et aliorum assessorum, si adsunt, conventum illius monasterii vel ad minus seniores ipsisque diem electionis assignet et postulet ab ipsis decretum electionis abbatis defuncti, [F. 216'] claves vero ad abbatiam sive alias pertinentes ipsis officariis, sicut invenit, dimittat. Deinde praefixo die electionis, si assessores et qui electioni interesse debent sint praesentes et nihil aliud sit impedimento, vadant ad longam orationem. Postea tempore capituli, cum dicitur: *Respice Domine*, intrent in capitulum et dicto: *Benedicite* subiungat: *Loquamur de ordine nostro* dicatque priori: *Prior! Suntne omnes praesentes, qui secundum statuta ordinis electioni novi abbatis interesse debent et possunt?* Respondente priore: *Sunt* prosequatur et dicat: *Patres venerabiles fratresque religiosi in Mariae virginis filio adunati sincerius! Vestris venerabilitatibus atque charitatibus manifestum est hoc monasterium iam vacare per obitum venerabilis patris domini N. piae memoriae quondam abbatis vestri, cuius anima requiescat in pace.* Respondeant omnes: *Amen.* Item praesidens dicat: *Fratres igitur in Christo devoti! Hortamur vos singulos, quatenus pro eo satisfaciatis iuxta sacri ordinis nostri debitum et nihilominus sortietur omnibus bonis, quae fiunt in domo ista perpetuis temporibus. Autoritate paterna denique et ordinis praememoratum patrem et dominum dominum N. abbatem vestrum absolvimus a sua abbatiali dignitate et omnes professos tam [F. 217] absentes quam praesentes ab obedientia ei facta necnon omnes vasallos huius monasterii a iuramentis eidem praestitis in nomine Patris et Filii et Spiritus s. Amen.* Deinde subiungat: *Fratres amantissimi! Quando quidem nobis incumbit autoritate paterna et ordinis operam dare, ut procedatur ad canonicam electionem alterius abbatis, ne ex defectu pastoris dominicum gregem invadant lupi rapaces, sed hoc interrumpere volentes hodiernum diem vobis praefiximus pro electione novi abbatis. Ideo praesentem actum huius almae electionis incipimus in nomine Patris et Filii et Spiritus s. Amen. Ut ergo primo in eodem verbo divino eloquio illuminemur, surgat N. et faciat nobis brevem lectionem novi abbatis electionem concernentem. Itaque incipiat secundum capitulum regulae b. Benedicti abbatis: Qualis debeat esse abbas, integre legatur cum suis distincti-  
onibus, quo finito sequatur eiusdem capitulum sexagesimum quartum: De ordinando abbate, inde decretum Basiliensis concilii: De electione novi abbatis (Hi, ad quos ius pertinet abbatem eligendi, omnem operam adhibeant — ne ad huiusmodi preces et comminationes vel impressiones nequaquam eligere praesumant, F. 217—218'), ex charta charitatis cap. 4: Si qua domus, ex Clementina cap. 3 totum: Et quia praefatus ordo, diffinit. dist. 8 cap. 5: In electionibus faciendis. Perlectis igitur statutis hic signatis praesidens vocet priorem cum caeteris officialibus in medium capituli et dicat: *Prior, sup-**

prior, cellerarie! Ex ordinatione canonica conceditur vobis et permittitur, ut de electione . . . , qui et vobis auctoritate praecipimus et in virtute salutaris obedientiae iniungimus, ut secundum conscientias vestras de talibus conveniatis, quos ad eligendum idoneos, habiles atque dignos esse noveritis. Si sunt deliberati, nominent et vadant ad auditorium.

Electo-ribus nominatis dicat praeses conventui: *Domini fratres! Suntne omnes hic stantes habiles et sufficientes ad eligendum novum abbatem vel est aliquis, qui velit vel possit excipere vel proponere contra eos omnes vel aliquem eorum? Surgat et proponat et nos faciemus iudicium.* Si nihil tale obiicitur, dicat ter ab omnibus quaerens: *Ergo mittitis vota vestra in eligentes?* Si [F. 219] dicunt: *Ita*, praeses subiungat: *Dicatis ergo nobis, fratres deliberati, per quam viam electionis vultis procedere: an per viam scrutinii tamquam ordinariam et in nostro ordine multum usitatam et in qua odia inter fratres possint sopiri remanente charitate patris eligendi et filiorum vel per viam compromissi aut per viam inspirationis?* Si dicant: *Per modum aut viam scrutinii*, subiungat: *Charissimi fratres! Admoneo vos omnes et singulos hortor, rogo et praecipio sub debito obedientiae, sub attestatione tremendi et finalis iudicii, ut provideatis huic domui de tali viro, qui possit praeesse et prodesse, secundum statuta ordinis et regulam nostram sanctam et canonicas sanctiones. Quod nisi feceritis, indubitanter in extremo iudicio super hoc respondebitis et omnium malorum, quod Deus avertat, ex hoc provenientium rei eritis. Quapropter tempore suo solemne praestabitis iuramentum secundum formam in ordine nostro praescriptam.*

Exeat nunc de capitulo et disponant se ad missam de Spiritu s. et omnes conveniant praeter illos, qui habent missas assignatas. Qua finita praeses cum assessoribus et capellanis suis ac notariis vadant ad sacristiam vel ad locum electioni consuetum electorum vota recipiendo. Alii de choro vadant ad capitulum ibidem electores expectando.

[F. 219'] In loco autem electionis praeses sedeat, ad latus [dextrum] seniore[m] vel digniorem assessorem locet, iuniorem vero aut minorem ad sinistram ponet. Praesidens librum evangeliorum apertum super genua sua teneat et desuper schedulam continentem iuramentum electorum scriptum maiusculis propter grandaevos aut visu defectuosos, ut melius legere valeant ipsum iuramentum. Cum autem primus electorum intraverit, flectat genua ante praesidentem et ambabus manibus tangat librum evangeliorum simulque schedam.

Iuramentum eligentium: Ego frater N. iuro et promitto Deo omnipotenti et beatissimae virgini Mariae<sup>1)</sup>, sub cuius nomine

<sup>1)</sup> Mariae et s. N. Die Worte et s. N. sind offenbar ein späterer Zusatz (vergl. Guignard l. c. 254 f.).

aedificata est haec ecclesia, quod omni inordinato amore, favore, odio seu timore aut alia quavis sinistra affectione semotis solum Deum prae oculis habendo hunc velim in abbatem eligere huius monasterii N., quem credam (*das Folgende stimmt, geringe Abweichungen ausgenommen, mit Rit. Cist. ed. Lirin. [1892] S. 446, Z. 5 ff. von unten überein*).

[F. 220] Quaerat praesidens personam, quam velit habere pro abbate, quae statim per notarios in scheda competenti annotetur, et persona iam notata dicat praeses: *Frater dilecte! Sub iuramento nulli dicatis, quem elegeritis*. Tunc praeses ab eo recipiat manus stipulationem ac tandem recedat. Idem fiat de sequentibus electoribus. Votis receptis et compositione facta numeri ad numerum, meriti ad meritum, zeli ad zelum (ubi autem unus erit electus concorditer, non fiet compositio) tunc praesidens cum sibi assistentibus de confirmatione electae personae deliberet, et si digna reperta fuerit, praesidens cum caeteris redeat ad capitulum, praesertim si est concursus electio. Quibus capitulum intransibus ac singulis residentibus dicat ipse praesidens et requirat ab electoribus, an petant electum suum sibi denominari, quibus petentibus praeses: *Omnipotenti Deo gratias referimus et vobis, charissimi, congaudemus, quod in electione vestra tam prudenter et tam concorditer egistis et processistis et persona, quam elegistis, est competentis literaturae, honestae vitae (vel, si est doctor, persona est illuminata salutaribus scientiis) et ut decet statum urbanitatis electio. Quapropter eam vobis denominabo*. Ad quas interrogationes omnes competenter tamen respondeant. Vocetur persona in medium capituli dicente praesidente: *Frater N. veniat in medium*. Quodsi noluerit surgere, tunc vocetur per praesidentem, ut stet ad mattam, et inducatur per eundem ad [F. 220'] suscipiendum onus abbatiae atque ut consentiat electioni canonicae de se factae et obiiciatur ei, an velit resistere Spiritui s., per quem creditur electus, et similia. Si autem adhuc multum resistit, inducatur etiam per patres abbates assessores simulque electores et alios de conventu bonis mediis, quoadusque dicat: *Consentio*. Tunc praesidens dicat cantori, ut incipiat *Te Deum laudamus*, quod cantet uterque chorus alternatim fratribus iunioribus praeceuntibus binis et binis, et cum venerint ad gradum presbyterii, ascendent in utroque choro per stalla, ubi stat abbas et prior ad missas, abbatibus eo ordine subsequentibus, qui ducant electum deorsum per medium chori, ubi stare habebit ad vigiliis, ponatque se praesidens ad dexteram novi electi, caeteri autem abbates iuxta ordinem suum stent ad chorum prioris fiatque tunc compulsus omnium campanarum per fratres inferioris gradus. Cantu denique et pulsu simul finito praesidens sub accentu et viva voce dicat: *Emitte spiritum tuum, Dominus vobiscum, Oremus, Actiones nostras*.

Inde recedant ad capitulum omnes per medium chori cum

novo electo praeunte praesidente cum assessoribus. In loco capituli ponatur electus in locum suum proprium consedeatque ei abbas praesidens et det ei librum regulae atque monstretur a praesidente ita dicendo: *Ecce regula nostra sancta pie in animam vestram nunc commissa vobis, secundum [F. 221] quam vos ipse vivere et alios regere debetis.*

Iuramentum electi (*stimmt, geringe Abweichungen ausgenommen, mit Rit. Cist. ed Lirin. S. 460, Z. 5 ff. von unten überein*).

Quo facto surgens stet ante praesidentem, qui surgens cum aliis confirmet electum hoc modo: *Nos Fr. N. abbas praesidens huius capituli iam factam electionem de persona vestra in abbatem praesentis monasterii canonicam, gratam ac ratam reputantes et habentes eandem auctoritate paterna comprobamus, authorizamus et confirmamus necnon vos in abbatem huius monasterii praeficimus in nomine Patris et Filii et Spiritus s. Quo residente tradat ei praesidens sigilla cum clavibus: Domine! Sub sigillo isto et clavibus istis committimus vobis omnem administrationem huius monasterii tam in spiritualibus quam in temporalibus, prout rationem Deo omnipotenti estis reddituri in [F. 221] extremo iudicio. Deinde fiat ei obedientia a fratribus. Modo, fratres, abbas a vobis electus et per nos confirmatus fecit debitum suum. Facite et vos vestrum eidem profitendo hisce verbis: Ego Fr. N. promitto tibi obedientiam secundum regulam s. Benedicti de bono usque ad mortem. Quo facto osculetur eum abbas et dicat: Deus det tibi vitam aeternam. Respondeant professi: Amen.*

Commendatio novi abbatis. *Fratres charissimi! Dominum abbatem commendamus vobis, ut ei debitam subiectionis obedientiam et reverentiam exhibeatis et vos sibi e converso commendamus, quatenus paternae pietatis affectu vos foveat et prosequatur. Regratiamur etiam vobis, quod tam solícite sumus excepti et habiti. Domum istam cum suis additamentis, cum personis rebusque caeteris committimus gloriosae virgini Mariae et dilectissimo filio eius, qui nos et vos ad gaudia perducat aeterna.*

Dicto: *Adiutorium vadat visitator et caeteri cum novo abbate ad abbatiam, in quam ingredientibus dicat visitator abbati novo electo: Dominus custodiat introitum.* Postea singuli dicant: *Proficiat vobis* et officiales omnes monasterii resignent ei claves officii sui.

Finit modus eligendi novum abbatem.

#### XIV. F. 222. **Privilegium Clementis VIII summi pontificis. . .**

*Cui soli ex privilegio apostolico munus benedictionis abbatibus et abbatissis tribuendi facultas competit. . . tibi (dem Abte von Cîteaux) ac pro tempore existenti generali abbati eiusdem ordinis, quando-cunque opus fuerit, principalibus abbatibus et abbatissis (huiusmodi benedictionis munus) impendendi facultatem subdelegandi. . . con-*

*cedimus potestatem . . . Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris pontificatus nostri anno quarto die 24. Julii anno Domini MDXCV.*

XV. F. 222'—224'. **Eiusdem Clementis VIII privilegium aliud.** Clemens VIII. gibt dem Abte von Cîteaux folgenden Auftrag: *omnia et singula praefati ordinis monasteria tam mulierum quam virorum in Superiori Germania ac provinciis, regnis et locis adiacentibus consistentia per te ipsum, si commode poteris, sin minus, per idoneos eiusdem ordinis . . . a te subdelegandos visitare ac tam in membris quam in capite reformare . . . cures*, und ertheilt ihm hiezu die nöthigen Vollmachten. *Datum Tusculi sub annulo piscatoris die ultima Aprilis . . . MDXCIII.*

XVI. F. 225. **Notanda de capitulis provincialibus.**

Capitulum provinciale reverendorum abbatum ordinis *Cisterciensis* in *Superiori Germania* praesidente RR. in Christo patre ac DD. *Edmundo a Cruce* abbate *Cisterciensi*, superiore ipsius ordinis generali inchoatum fuit in monasterio *Fürstenfeldensi* in *Bavaria* prope *Monachium* in die festo exaltationis s. crucis, scilicet die 14. Septembris. Alia statuta provincialia sequentibus plane similia, anni videlicet 1593, data etiam sub eodem RR. D. *Edmundo a Cruce* ad instantiam summi pontificis *Clementis VIII*, cuius bullam praemisi pro *Inferiori et Superiori Germania*, his adiecissem; sed quia haec sequentia statuta illis provincialibus datis in monasterio *Fürstenfeldensi* in *Bavaria* in omnibus fere sunt similia, imo maioris autoritatis, quia se non solum per *Germaniam*, sed per universas mundi provincias et regna extendunt, ideo illa sunt hic omissa.<sup>1)</sup> F. 225' leer.

XVII. 226—291. **Statuta capituli generalis edita anno Domini 1601.** Anf.: *Nos Fr. Edmundus a Cruce . . . notum facimus universis . . . quod anno Domini 1601 . . . Schl.: per illas cum benedictione Domini transmittatur. Finis diffinitionum capituli generalis celebrati in Cistercio matre ordinis anno Domini 1601 21. die Maii.* F. 291' leer.

XVIII. F. 292—293'. **Casus reservati ex Clementis VIII bulla** (vom 26. Mai 1593; vergl. Fr. Suarez, Opp. IV, 129; Rit. Cist. I. 3 c. 9). Anf.: *Veneficia, incantationes, sortilegia . . . Schl.: confiteri superiori reservata.*

XIX. F. 294—299. **Dubia quaedam ac difficultates super obligatione statutorum** duodecim articulis comprehensae, RR. D. *Edmundo a Cruce* abbati *Cisterciensi* ac totius ordinis generali per Adm. R. P. D. *Petrum* abbatem *Salemitanum* die 17. Junii anno 1602 propositae **cum adiunctis earum responsionibus** ac

<sup>1)</sup> Vergl. D. Willi, Die oberdeutsche und schweizerische Cistercienser-Congregation, Bregenz 1879.

resolutionibus per eundem RR. D. abbatem *Cisterciensem*, ordinis generalem 27. Julii eiusdem anni manu sua subscriptis. Originale habetur in *Salemitano* monasterio, unde hoc exemplar est desumptum. Anf.: *Dubium primum. Quaeritur primo, quomodo ea statuta . . .* Schl.: *propositas solvisse et declarasse. Datum Cistercii sub nostra subscriptione, dicti parvi sigilli appensione atque secretarii nostri signo manuali die vicesima septima mensis Julii anno millesimo sexcentesimo secundo. Fr. Edmundus abbas Cistercii et ordinis generalis.*

XX. F. 299—305'. **Instructio confessoriorum et confitentium de culparum multiplicitate et de casibus reservatis.** Anf.: *De culpis, poenis et censuris. Quamvis culpa . . .* Schl.: *absolvere, dispensare et rehabilitare potest. Ad fidem faciendam de his subscripsimus Fr. Edmundus a Cruce abbas Cisterciensis generalis. Nos subsignati fratres Laymone prior de Directa<sup>1)</sup> Valle et Claudius de Lamonestre prior de Gaudio novissimi ordinis Cisterciensis capituli generalis notarii ad pedes hic iussu RR. D. nostri D. Cisterciensis generalis ad fidem pariter ut supra faciendam testimonium veritatis nostris chyrographis firmaturi subscripsimus. Cistercii die vicesima septima Julii anno Domini MDCII.*

XXI. F. 306—311'. **Annotata quaedam in declarationes quorundam dubiorum** a RR. DD. *Petro abbate Salemitano* super obligatione statutorum ordinis Cisterciensis propositorum RR. D. *Edmundo a Cruce* generali ordinis Cisterciensis, ab eodem solutorum anno Domini 1602. Anf.: *Circa primum responsum . . .* Schl.: *commutandi ex gravi causa. Finis obiectorum.*

XXII. F. 312—314. **Circa instructionem confessoriorum de culpis et censuris** ordinis ab eodem generali emanatam aliquot quaestiones. Anf.: *Quaestio prima. Primo quaeritur, cur assignantur . . .* Schl.: *angeli Domini exercituum sunt. Omnia ad Dei honorem. Finis quaestionum.* F. 314' leer.

XXIII. F. 315—319. **Excommunicationes summo pontifici reservatae in bulla seu processu Coena Domini, in iure et concilio Tridentino. Casus archiepiscopo Salisburgensi reservati.** F. 319' leer.

XXIV. F. 320—332. **Statuta capituli generalis sub RR. D. Nicolao Boucherat apud Cistercium celebrati anno Domini MDCV.**

Diffinitiones in capitulo generali anno Domini 1584 die ultima mensis Aprilis apud *Cistercium* celebrato factas excepta illa de notariis ad pedes praesens capitulum generale ratificat, approbat et in plenaria ordinis potestate confirmat.

De divino officio et aliis ad ipsum pertinentibus. Ut una eademque ratio et idem ritus in missarum celebratione

<sup>1)</sup> Direta.

per totum ordinem teneatur, RR. D. generalis providebit, ut de ipsis conficiatur tractatus et quam primum edatur.

Curent commissarii capituli generalis, ut altaria superflua et incommodo loco sita ex ecclesiis nostris amoveantur, dummodo illa non sint ex fundatione, [F. 320'] et tot remaneant, quot ad missarum celebrationem sufficere possint, habita ratione locorum idque fiat sine offensione et scandalo.

Hortatur capitulum generale singulos abbates et singulos monasteriorum superiores, ut horas divinarum officiorum sic distribuant singulis diebus, ut fratres spatium dimidiae horae habeant matutino tempore, quo in ecclesia meditationi vacent, et tantundem temporis post completorium, quo huic pernecessario officio necnon examini in suis cellis vacent.

Ut s. *Romanae* ecclesiae, quantum fieri poterit, conformemur, deinceps non cantabitur *Alleluia* tempore ac dominicis septuagesimae, sexagesimae et quinquagesimae, sed in iis loco *Alleluia* ad cantica, laudes, primam, tertiam, sextam et nonam dicantur antiphonae nuper accommodatae ac typis expressae. Privatis vero diebus per id tempus in secundo nocturno cantabuntur antiphonae, quae alias in quadragesima solent dici.

Martyrologium ordinis non habentibus, donec fuerit correctum et impressum secundum ordinis usum, permittitur, ut interim utantur *Romano*.

Missa ordinaria pro defunctis non dicatur amplius diebus dominicis vel sermonum vel festis apostolorum [F. 321] et festis duarum missarum, sed hebdomadarius ad altare ipsorum dicet missam diei currentis cum adiuncta collecta pro eisdem defunctis.

Capitulum generale diffinitioni felicitatis recordationis *Gregorii XIII* inhaerens praecipit, ut per universum ordinem die secunda Aprilis celebretur festum s. *Francisci de Paula* primi institutoris fratrum ordinis minorum et officium fiat sicut de s. *Francisco Assisii*. Festa quoque aliorum sanctorum per summos pontifices sub praeepto instituta deinceps celebrentur.

Officium defunctorum non dicatur amplius per octavas solemnes, videlicet epiphaniae, paschae, ascensionis Domini, corporis Christi, festivitatum B. M. V. visitationis, assumptionis, nativitatis, conceptionis, propter maiorem earum<sup>1)</sup> solemnitatem.

Missa conventualis non debet dici nisi orto sole ideoque ab exaltationis s. crucis usque ad caput quadragesimae privatis diebus cantabitur post tertiam et *Pretiosa*. Item in vigilia nativitatis Domini vesperae celebrabuntur ante refectorem sicut tempore quadragesimae.

Renovatur diffinitio, qua praecipitur, ut in omnibus mona-

<sup>1)</sup> eorum.

steriis ordinis celebretur officium pro RR. D. *Cisterciensi* pro tempore decedente necnon pro R. quatuor primis abbatibus pro tempore decedentibus in universis monasteriis suae generationis.

[F. 322'] Singulis diebus sermonum habeatur sermo in capitulo ab omnibus fratribus per ordinem. Idem quoque faciant abbates. Porro si qui sint fratres, quorum praedicatio possit esse aedificationi, id nonnunquam in ecclesia ex proprii superioris mandato et concessione faciant.

Tabula indulgentiarum per *Leonem X* ordini nostro concessarum habeatur in omnibus ecclesiis nostris, ut ad ipsas consequendas tam regulares personae ordinis nostri quam saeculares in eis specificatae ex earundem inspectione magis excitentur.

Quoniam hodiernus rei status non permittit, ut capitulum generale singulis annis habeatur, statuitur, ut in posterum saltem quolibet quadriennio celebretur. In cuius celebratione ea deinceps ratio servabitur, quae antiquitus servabatur. Interim praesens capitulum generale cohortatur D. abbatem *Cistercii* et quatuor primos abbates, ut quolibet anno solum pro gravitate emergentium negotiorum in loco per reverendissimum *Cistercii* deputando de rebus ordinis tractaturi conveniant. Attamen praeter solitos capituli generalis diffinitores et officarios deputabuntur sex abbates contractuum examinatores, quorum officium erit contractus huiusmodi diligenter et accurate examinare et [F. 322] de ipsis postea diffinitoribus referre. Qui abbates ante omnia iuramentum praestabunt de suo officio fideliter, sine fraude ac corruptione implendo, quibus adiungentur duo secretarii abbates vel religiosi, prout expedire videbitur. Abbates notarii capituli generalis, antequam officium suum aggrediantur, de eo fideliter obeundo et exequendo similiter iurabunt. Originales vero diffinitiones<sup>1)</sup> capituli generalis deinceps subscribentur a RR. D. *Cisterciensi* et quatuor primis et ambobus notariis praedictis nomine omnium diffinitorum. Notarii vero ad pedes iisdem non subscribent, sed illarum<sup>2)</sup> tantum transumptis et ideo revocatur diffinitio in contrarium edita.

Renovatur diffinitio de reddendis computationibus contributionum et quatuor primis et aliis, prout antiquitus fuit observatum. In sessione capituli generalis servabitur ratio et tempus foundationis seu incorporationis monasterii cuiusque abbatis excepto praesidente congregationum *Lombardiae*, cui proxima post quatuor [primos] abbates sessio conceditur, quando personaliter intererit. Ut autem facilius dignoscatur tempus foundationis vel incorporationis cuiusque monasterii, antiqua tabula omnium ordinis monasteriorum quamprimum restituetur.

<sup>1)</sup> diffinitores.

<sup>2)</sup> illorum.

De caetero vicarii provinciarum iuxta laudabilem consuetudinem patrum deferant secum ad capitulum generale [F. 322'] rotulam continentem nomina omnium personarum regularium utriusque sexus ordinis nostri a praecedente capitulo defunctorum in sua provincia, ut pro eis preces iniungantur.

Quoniam radix omnium malorum est proprietatis, capitulum generale sacri concilii *Tridentini* decretis necnon constitutioni *Gregorii XIII* insistens revocat et abolet omnes quascunque licentias, dispensationes et indulta cuiusque praelati rerum et bonorum usus proprietatis, possessionis et domini omnibus utriusque sexus nostri ordinis regularibus personis per quoscunque superiores eiusdem ex quibuscunque causis concessa et vult illa deinceps vires et effectum non habere. Ideoque in virtute sanctae obedientiae districte praecipit omnibus vicariis et monasteriorum superioribus, ut decretum capituli secundi sessionis 25 eiusdem concilii *Tridentini* de regularibus accurate et ad amussim servari faciant. Si qui vero executioni et observantiae dicti decreti sese opponere praesumpserint, sint eo ipso excommunicati et inhabiles ad quaevis officia, gradus et dignitates. Si qua autem persona, quod Deus avertat, in detestando huiusmodi proprietatis vitio impenitens decesserit, ecclesiastica sepultura et publicis suffragiis privetur.

Curent monasteriorum superiores et vicarii, ut quod religiosis necessarium erit non denegetur. [F. 323] Et statuunt in omnibus monasteriis certam summam habita ratione pretii rerum, iuxta quam<sup>1)</sup> commendatarii et duriores abbates vestiarium monachis administrent, quod non in pecunia, sed in rerum natura<sup>2)</sup> physice et in specie tempore per eosdem constituendo et determinando recurrente eis detur.

Prohibetur, ne de caetero feria quinta hebdomadae sanctae sive ante sive post completorium ulla convivia fiant. Ieiunia ordinis diligenter et accurate observentur ab omnibus feria sexta a penthecoste usque ad Idus Septembris et ab iisdem usque ad caput quadragesimae feria quarta et sexta, nisi praecedente aut subsequente die ieiunium de praecepto eveniat. Abstineant tam abbates quam fratres ab esu carniū singulis feria secunda et quarta totius anni ac toto adventus et quadragesimae tempore. Proprii tamen abbates et monasteriorum superiores nonnunquam dispensare in ipsa feria secunda pro rationabili causa possint.

Serio et districtissime prohibetur, ne de caetero in receptione novitorum et novitiarum necnon et in eorum et earum professionibus aut primitiis sacerdotum ulla publica fiant convivia.

<sup>1)</sup> quod.

<sup>2)</sup> pecuniae — naturae.

Ne frequentia saecularium quietem monachorum perturbet, hebdomadarius missae maioris extra divini officii et refectionis tempus exteriorem [F. 323'] claustrum portam continuo observabit neminem introducendo absque scitu et licentia superioris claustralis, ac ut exspectantes habeant quo se occupent, curabitur, ut aliquae imagines vel tabulae chronographicae iuxta portam huiusmodi habeantur.

Nullus sub inobedientiae poena audeat convenire provinciae vicarium sine proprii abbatis licentia nec patrem immediatum nec aliquem ex quatuor primis seu etiam RR. Dominum *Cistercii* sine ipsius vicarii [licentia] in scriptis obtenta.

Translati ob infamiae crimen durante inhabilitate ad nulla prorsus officia admittantur sub intrusionis poena.

Districte prohibetur universis abbatibus et abbatissis electis, ne ante confirmationem suarum electionum a suis patribus immediatis vel RR. D. *Cisterciensi* obtentam<sup>1)</sup> administrationi spirituali sese quoquo modo immisceant neve novitios aut novitias ad habitum vel professionem admittant neque benedictionem abbatialem accipiant.

(Continuatio in fasc. seq.)

† P. Leo Fischer, O. S. B.

### Eine Blume aus dem Klostergarten.

Biographisch-literarische Studie von J. Böllenrücher (Sarnen).

(Schluss zu Heft II. 1897, S. 304—313.)

Ein wohlwollender Kritiker forderte einst unsern Dichter zur strophischen Bearbeitung irgend eines grössern epischen Stoffes auf. P. Leo hat es nicht gethan, aus Furcht, wie er selbst gestand, es möchte eine solche Arbeit ihm nicht aus einem Gusse gelingen. Er betrachtete die poetische Thätigkeit nur als Nebenbeschäftigung, so pour passer le temps, wie man zu sagen pflegt. Fuhr ihm ein verwertbarer Gedanke durch den Kopf, so suchte er sich denselben im Geiste zurecht zu legen, mochten auch Monate und Jahre darüber vergehen. Manche Idee ward aufgegeben oder vergessen; aber sie tauchte wieder auf, und sobald der Dichter sich über die Form klar geworden, begann die Ausarbeitung, was oft kaum eine halbe Stunde in Anspruch nahm. Wir glauben jedoch, Leo Fischer würde sich später an ein Epos im Stile von „Dreizehnlinden“ oder „Bertran Gomez“ gewagt haben. Zu einem solchen Werke dürfte vielleicht die den Schluss von „Wanderers Weisen“ bildende poetische Novelle „drei Hiebe“ ein Uebergang gewesen sein, nach welchem zu schliessen Leo Fischer auch als Epiker sich einen Namen verschafft hätte.

<sup>1)</sup> obtenta.